ANIMADVERSIONES

DE ASTHMATE

PRAESERTIM

SPASMODICO ET THYMICO

AUCTORE

D. IO. GUIL. HENR. CONRADI

EQUITE GUELPHICO, REGI AB AULAE CONSILIIS
ET MEDIC. PROFESSORE IN ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA

Commentatio in consessu Societat. Reg. Scient. Getting. d. XIV. IANUAR. MDCCCXXXII recitata.

GOTTINGAE,
SUMTIBUS DIETERICHIANIS.

Asthma spasmodicum siue *conuulsiuum*, tanquam morbum idiopathicum et ex primaria affectione neruorum natum, raro admodum occurrere, meis quoque obseruationibus confirmatur. Plerumque enim, ubi asthmatis symptomata reperiebantur, ex aliis affectionibus pendebant. Verumtamen non probanda est recentiorum quorundam medicorum sententia, qui illud esse omnino negant, neque semper illud ex vitiis organicis pendere ponendum est 1). Atque vel *Laënnecus*, qui antea 2) asthma plerumque ex vitiis organicis pendere, maximeque catarrhum siccum occultum vel manifestum atque ex eodem ortum emphysema pulmonum illius causam esse proposuerat, postea tamen fassus est 3), se in pluribus casibus vel diligentissima inuestigatione nullum vitium organicum, quod pro asthmatis causa habendum esset, deprehendere potuisse.

---

1) Respirandi difficultatem saepe symptomaticam atque aliorum morborum esse filiam, saepe quoque a vitiis cordis vasorum magnorum oriri, jam dudum vel in maxime vulgatis pathologiae et therapiae specialis compendiis propositum est, neque id primus docuit *Corvisartus*. Conf. *Rud. Aug. Vogel* praelect. de cognosc. et curand. praecip. c. h. affectibus, §. 595. et *Burserii* inst. med. pract. Vol. IV. §. CC.

2) De l'auscultat. médiate, I. Edit. §. 556. 559.

3) Traité de l'auscultation méd. II. Edit. T. II. p. 87.

Speciatim vero distingui solet *asthma siccum*, in quo tussis vel nulla est vel sicca et sputi expers, quod a sola spastica affectione pendere dicitur ideoque *κατ' ἐξοχήν spasticum* appellatur [1]), et *humidum*, quod ab humoris, praesertim pituitae, in pulmonibus abundantia oriri ponitur. Attamen hae species non semper et ex toto separari possunt, sed ex eadem causa pendens asthma modo siccum, modo magis humidum est, atque vel in casibus, vbi spasmodica affectio subest, pituita quoque secerni, maximeque versus finem accessionis exsecrari potest. Asthma autem humidum, quod maxime ex pituita pulmones replente nascitur et *pituitosum* appellatur, catarrhum chronicum vtique interdum sequi potest. Non omnes autem casus, qui sub asthmatis humidi nomine significantur, solummodo pro catarrhis chronicis aut pro catarrhi chronici intermittentis specie, ut *Laënnecus* posuit, habendos esse, jam ex supra dictis colligi potest et jam pridem alio loco a me notatum est [2]). Atque in his quoque, quibus affectio catarrhalis subest, nonnisi alia affectione, vtpote neruosa, accedente asthma nasci solet. Alioquin etiam frequentius incidere oporteret asthma, quod tamen raro admodum obseruatur.

Emphysema pulmonum, quod *Laënnecus* [3]) tam multis ad asthma neruosum relatis casibus subesse contendit, plerumque alios pulmonum

1) Perperam *siccum* et *conuulsiuum* asthma vnum idemque reputari, omne quidem conuulsiuum esse posse *siccum*, non vero omne *siccum* a conuulsione aut spasmo pendere, recte monuit *Burserius* l. c. §. CCI.

Asthmatis speciem ab *Aretaeo* (de caus. et sign. diut. morb. Lib. I. c. 12.) descriptam, quae *πνευμώδες* adpellatur, asthmati scirrhoso recentiorum conuenire, nec *ὀρθοπνοίαν*, siue asthma conuulsiuum, nec *asthma flatulentum* esse, demonstratum est a *Baldingero* in Progr. Aretaei asthma pneumodes recentioribus non esse ignotum. Ien. 1772. et *Grunero* in morbor. antiquitatib. p. 210 sqq. A *Badhamo* falso illam ad bronchitidem relatam esse, monui in Comment. de bronchitidis historia et diagnosi in Comment. Soc. Reg. Scient. Gotting. recentior. Vol. VII. p. 56. Non magis autem, historia morbi si conferatur, probari potest opinio *Naumanni* (Handb. d. med. Klinik, B. 1. p. 564.), symptomata potius catarrhum suffocatiuum significare.

2) Götting. gel. Anz. 1825. B. 3. p. 1447—48.

3) Traité de l'auscultation médiate T. I. p. 289. 305. T. II. p. 71.

morbos, nonnunquam ipsum asthma, sequitur atque dyspnoeam potius continentem excitat, etsi in illo interdum increscente aëris accumulati copia vel potentiarum nocentium, quae asthma excitare solent, vi accessiones asthmatis propriae effici possunt.

Oedema quoque pulmonum potius continuam spiritus difficultatem excitat [1]), similiterque ossescentia cartilaginum costarum in senibus atque accedens pulmonum relaxatio, quamuis his etiam interdum asthmatis accessiones moueri possunt.

Infantes praecipue ea asthmatis spastici forma acuta corripit, quae *Asthma Millari* nominatur. Etsi egomet, qui medicinam iam per triginta annos exercui, hunc morbum vtique rariorem nondum ipse viderim, longe tamen absum ab eorum opinione, qui illum omnino non esse contendunt. Neque facile intelligitur, quod etiam *Kreysigus* [2]) recte notauit, cur non in infantibus aeque atque adeo facilius quam in adultis affectus spastici organorum spirationi inseruientium oriri possint. Opinionem autem *Puchelti,* qui Asthma Millari carditidem infantum esse posuit, minime argumentis idoneis comprobatam esse, iam alio loco a me demonstratum est [3]). Asthma, quod *Wiegandus* [4]) in infantulis quatuor aut sex hebdomades natis obseruauit, cuique nomen ineptum *asthmatis Millari simulati*

---

1) A *Darwino* (Zoonomie übers. v. Brandis, Abth. II. p. 112. et Th. II. Abth. I. p. 328 sqq., p. 617 sqq.) quaestio proposita est, an accessiones periodicae asthmatis humidi, quae solummodo noctu eueniunt, breue tantum tempus duranti humoris in pulmonibus accumulationi attribuendae sint? dum nempe humor inter tardiorem pulmonum motum, qui per somnum contingat, accumuletur, deinde vero vehementibus pulmonum asthmatis accessione correptorum motibus resorbeatur et multo sudore in capite et collo facto excernatur. *Rob. Bree* (a pract. inquiry on disord. respirat. etc. Sect. IX.) breue tempus durantem hydropem, in qua serum tenue in bronchiis accumuletur, asthmati subesse credidit. Haec vero opinio neutiquam argumentis certis confirmata est, atque vel *Darwinus* ipse confessus est (Th. II. Abth. I. p. 328.), causam asthmatis adhuc obscuram esse.

2) Encyclopaed. Wörterb. d. medic. Wissenschaften, B. III. p. 592.

3) Handb. d. spec. Pathol. u. Therapie, B. II. 3. Ausg. §. 1452. not.

4) Hamburg. Magaz. f. d. Geburtshülfe von *Gumprecht* u. *Wiegand* B. I. H. 1.

imposuit, non nisi varietas asthmatis Millari est, quae ex debilitate et irritabilitate nimia aegrotantium pendet. Ea vero asthmatis et suffocationis infantulorum species, cui nimia pituitae secretio subest, inter illos casus referenda est, qui catarrhi suffocatiui nomine signari solent.

Intumescentiam *Thymi* dyspnoeam chronicam vel adeo asthma in infantibus atque interdum etiam in adultis facere posse, iamdudum a medicis notatum est. Obseruationes eiusmodi antiquiores et suas iam collegerunt et tradiderunt *Lieutaudius* et *Portalius* 1), nouissimo tempore autem in primis *Meckelius* 2) et *Beckerus* 3). *Floyerus* 4) quoque in specierum asthmatis continui numero eam retulit, in qua pulmones a tumore thymi comprimuntur.

De asthmate autem infantum speciatim iam notauerat *Richa* 5), saepe illud ab intumescentia thymi ortum ducere, atque coniecturam, quam de hac asthmatis origine cepisset, omnibus sectionibus demortuorum puerorum, quibus quaedam ab ortu anhelitus angustia adfuerat, confirmatam fuisse. Sic quoque *Verdriesius* 6) edixit, in asthmate defunctis pueris glandulas bronchiales prae aliis praeter naturam turgidas, inprimis glandulam, quam thymum vocant Anatomici, insigniter tumefactam, ita quidem ut totam fere anteriorem pectoris regionem occupauerit, et vel materia pituitosa viscidiori vel sanguine crassiori refertam comparuisse. Idem addidit, de thymo speciatim asseuerasse *Hertium*, se nunquam corpus hoc affectu defuncti infantis aperuisse et inspexisse, vbi thymus eo modo non fuisset infarctus. Nuperrime autem *Hoodius* 7) et praecipue *Koppius* 8) memoratu dignas obseruationes et animaduersiones de asthmate puerorum ex intumescentia thymi nato tradiderunt.

---

1) *Lieutaud* hist. anatom. med. Ed. *Portal* Vol. II. p. 240—241.

2) Abhandlungen aus der menschlichen und vergleichenden Anatomie und Physiologie, p. 234 sqq. et Handb. d. patholog. Anatomie, B. 1. p. 488 sqq.

3) De glandulis thoracis lymphaticis atque thymo Spec. patholog. Berol.

4) Abhandl. von der Engbrüstigkeit p. XXXV.

5) Constitut. epidem. Taurin. tert. p. 107 sqq.

6) Diss. de asthmate puerorum. Giess. 1726. 4. §. VIII.

7) Edinb. Journ. of medic. Science, Vol. III. 1826. p. 39 sqq.

8) Denkwürdigkeiten in der ärztlichen Praxis. B. 1. Frankf. 1830. 8. p. 1 sqq.

Ille nouem casus proposuit, quibus vitia thymi subfuerant, quorumque septem infantibus semestre vsque ad annum sextum agentibus obuenerant. Ex illius sententia vitium thymi morbo subfuisse poni potest, si infans subito, aliis incommodis non praegressis, in clamoris et vehementis concitationis impetu exanimatus et mortuus sit. Neque minus chronicum thymi tumorem subesse existimat in multis infantibus, qui impetus eiusmodi vocem et respirationem cohibentes, saepeque subitam mortem inferentes patiuntur, sicut etiam in omnibus casibus chronicae, spasmodicae, vel cerebrum quoque afficientis anginae laryngeae (?), sub quibus diversis nominibus morbus ille ab auctoribus significatus sit. Ceterum addidit, morbis pectoris adultorum et tumoribus thymi infantum saepe hydropem cerebri superuenire, signis eiusdem propriis non praegressis aut sequentibus, atque in hisce casibus vtplurimum aquam in cauis et superficie cerebri inueniri, quae a thymo truncos venarum sanguinem e capite reuehentium premente ibi contrahatur. An vero haec colluvies seri tam frequenter incidat, in dubium vocandum est, eamque in nonnullis casibus, vbi praeter thoracem quoque cerebrum cadauerum post hunc morbum defunctorum examinatum est, defuisse iam constat [1]).

Koppius hunc ex intumescentia thymi, qui non suo tempore deminuitur, vel magis etiam increscit, pendentem morbum *asthma thymicum* appellauit atque eiusdem signa pathognomomica esse edixit spiritus inhibitionem per repetitos insultus cum sono clamoris et anxietatis notis infestantem, insignem quoque procliuitatem ad eiusmodi accessiones, si infans expergiscatur, vel clamorem vehementem edat, vel potum incommodius deglutiat etc., et plerumque linguam inter labia exsertam. In ipsa morbi accessione pulsus est inaequalis et intermittens vel omnino deficit, gra–

1) Notandum tamen est, suffocationem quandam infantum esse, in qua liuescunt et exanimantur, quaeque per repetitos insultus, sed ordine incerto, infestat, ex *Goelisii* (pract. Abhandl. üb. die vorzügl. Krankheiten des kindl. Alters, B. 2. p. 39—40. et *Hufeland's* Journ. d. pract. Heilk. 1825. März p. 68 et 78.) obseruationibus a colluuie serosa cerebri oriri posse, vel saepe stadium primum hydrocephali chronici significare, verum etiam seriori eiusdem tempore inueniri, tuncque maxime periculosum symptoma esse.

viorique accessionis impetu manus et pedes frigescunt, facies rubescit, deinde liuescit, vel pallidior fit, saepe quoque spasmi manuum ac pedum, digitorum pollicum contractio, faciei distortio etc. accedunt, atque nonnunquam quoque vrina et stercus aegris insciis aut inuitis elabuntur [1]).

Koppio [2]) hic morbus non admodum rarus esse videtur, eumque saepius sub nomine catarrhi suffocatiui vel etiam asthmatis Millari venisse credit. Addit, se plures infantes obseruasse, quibus clamantibus subita et longius permanens spiritus inhibitio acciderit, adeo vt parentes anxii et suffocationem metuentes medici auxilium peterent, quibusque eiusmodi spiritus inhibitiones nouo metu terrentes saepius euenissent, tandem vero, plerumque quarto anno, sensim euanuissent. Persuasum autem illi est, tales infantes, quorum corpus tenerius esse solet, thymum nimis magnum habere, qui exspiratione fortiori sub clamore extensus pulmonum vim superet respirationemque inhibeat, atque nonnisi organorum pectoris ad ducendum spiritum intentione pulmonibusque denuo extensis rursum coarctetur et comprimatur. Aetate autem infantum processa nimiam magnitudinem thymi ideoque causam morbi euanuisse. Deinde quoque *Koppius* [3]) casum a *Rullmanno* traditum respiciens, in quo spiritus inhibitio assuetudini infantis ab illo adscripta est, illam vel ab intumescentia thymi ortam esse posuit.

An vero haec sententia recta sit, potest dubitari. Animae enim interclusio (das sogenannte *Athemhalten, Ausbleiben des Athems*), quae infantibus, ceterum quoque sanis, non raro accidit, vtplurimum cum fletu, vel risu et clamore oritur atque maxime ira et aliis animi affectibus excitatur, non autem infantes quiescentes occupat aut e somno eosdem excitat. Eidem saepe quidem accedunt rubor faciei, intumescentia venarum colli,

---

1) In casu a *Koppio* observato manibus super pectus infantis accurate impositis pulsus cordis persentisci non poterat. In aliis casibus huius rei ab illo nulla ratio adhibita erat.

Quodsi infantes proni collocabantur et dorsum eorum blande pulsabatur, spiritus inhibitio minuebatur vel breuior reddebatur.

2) L. c. p. 33.

3) L. c. p. 83.

os diductum, anxii pectoris membrorumque motus, vehemens palpitatio cordis, pulsus paruus et frequens, quae symptomata post aliquot horae scripula spiritu expedito euanescunt; raro tamen color faciei liuidus vel pallidus, pulsus deficiens, spasmi extremarum partium, frigus corporis, vrinae et stercoris sine voluntate excretio etc. superueniunt, atque praesertim clamor ille singularis et subtilis, qui in asthmate thymico editur, hic deest. Procedente autem infantis incremento tertio aut quarto anno, nonnunquam demum quinto, malum hoc sponte euanescere solet. Ac id saepe quidem spasmo in teneris et irritabilibus infantibus facile nascenti tribui potest, ut non semper opus sit vitium organicum accusare. Verumtamen in sectionibus infantum saepe hoc malo correptorum et forte alio morbo confectorum ad thymum praecipue respicere conueniet, vt illius mali ratio extra dubium ponatur [1]).

Hoc asthma, quod hucusque frequentius in infantibus sexus masculini deprehensum est, quodque eos a primo natali die vel quarto demum mense vel serius infestauit, plerumque suffocatione vel apoplexia et conuulsionibus mortem adtulit. Attamen iam nonnulli casus traditi sunt, vbi infantes, in quibus certe eadem morbi signa deprehendebantur atque ex his

---

1) *B. Lucae* (Grundriss der Entwickelungsgeschichte des menschlichen Körpers §. 89. Conf. discipuli eiusdem *Christ. Wilh. Eberhard* diss. de musculis bronchialibus eorumque in statu sano et morboso actione, annexa de peculiari infantum apnoea periodica relatione. Marburg. 1817. 8. p. 16. et 25 sqq.) hanc spiritus inhibitionem peculiarem morbum euolutionis esse posuit eiusque ortum inde explicari credidit, quod musculi bronchiales exspirationi seruientes per aliquod tempus iustae contractionis et expansionis regulae assuesci deberent (?). Idem (p. 29.) casus meminit, vbi illius accessio apoplexia mortem adtulit. Sed in hoc casu maxime desideranda est sectio cadaueris.

Rullmannus (in Koppii libro p. 82 sqq.) casum tradidit, vbi spiritus inhibitio assuefacta esse dicitur, infantemque demum sexto mense vsque ad octauum, cum iam voluntatis suae notae apparerent, inuasit. Idem tamen casus esse posuit, vbi spiritus inhibitio animi affectibus excitatur, spasmusque ei subest. In eiusmodi casibus autem spiritus inhibitio vel infanibus recens natis euenire potest.

notis eandem morbi causam subesse colligi poterat, seruati sunt [1]). His similis est casus sequens in instituto clinico meae curae commisso obseruatus.

Puer hoc morbo affectus, quum d. VII. Febr. 1831 in institutum clinicum reciperetur, iam annum natus erat. Pater eiusdem bona valetudine fruebatur, mater autem, quae viginti octo annos habebat, saepe affectibus pulmonum obnoxia fuit. Annum agens decimum septimum viro nupta intra nouem annos septem infantes pepererat, quorum tres priores integra valetudine erant, quartus autem eclampsia, quintus atrophia confectus est. Puer vero, cuius historia morbi iam traditur, vsque ad finem anni primi satis bona valetudine vsus esse dicebatur, atque vel speciem corporis bene nutriti praebebat. Mater tamen interdum se obseruasse dixit, illum in somno spiritum celerius traxisse, venasque in collo tumidas fuisse. Medio autem Decembri anni praeteriti saepius spiritus difficultate e somno excitatus, tuncque interdum eius facies ex rubro subnigra fuisse dicitur. Deinde vero eiusmodi affectus etiam vigilanti, praesertimque ad iram incitato interuenisse, sensimque accessiones grauiores vrsisse dicuntur, quibus vel corpus aegri paululum extenuatum est, ita vt mater ad auxilium petendum impelleretur.

Accessiones autem, quae abhinc a nobis obseruabantur, ita se habebant. Infans e somno excitabatur spiritum frequentius trahens, tuncque clamorem singularem et subtilem edebat, quem vel tussis impetus frequens excipiebat. Clamore et tussi quater circiter repetitis subito spiritus inhibitio incidit, in qua facies tumebat, rubebat et liuescebat, oculi defixi, paululum dextrorsum detorti et prominentes erant. Lingua quoque inter labia exserta erat, quod vel extra accessiones obseruabatur. Hisce accedebant spasmi extremarum partium, quae in vniuersum recta extensae, manibus tamen introrsum versis, capite quoque scapulis annexo. Accessiones plerumque per duo vsque ad quatuor, interdum etiam decem horae scripula durabant. Tunc cessantibus spasmis spiritus facilius trahebatur, infans tamen adhuc valde languidus erat, pallebat et caput demissum habebat.

---

1) Conf. in *Koppii* libro citato casus a *Rullmanno* (p. 75 sqq.), *Tritschlero* (p. 94 sqq.) et *Koppio* (p. 368 sqq.) traditos.

Eiusmodi accessiones, plus minus graues, non solum per somnum, sed etiam vigilanti puero, quotidie duae pluresue, interdum quinque vsque ad octo veniebant. Reliquo tempore aliquantum bene se habebat et alacer erat.

Adhibebatur puluis ex Hb. Digitalis purp. graui octaua parte et Mercurii dulc. grani quarta parte ter singulis diebus, atque vnguentum Digitalis purp. cum pari portione vnguenti mercur. alb. pectori infricabatur. Sub horum medicamentorum vsu status aegri in melius mutatus est, ita vt iam primis hebdomadibus accessiones grauiores rarius venirent et nonnisi irritamentis variis casibus incidentibus excitarentur, mense autem sequenti omnino cessarent. Cupiditas cibi increscebat, puer alacrior et robustior fiebat, habitumque corporis speciosiorem induebat.

Ceterum praeter Mercurium dulcem vel per se datum vel Hbae Digitalis purp. iunctum, puluis Plummeri et herba Cicutae, cum hirudinibus pectori impositis, praesertim quoque emplastro vesicatorio medio pectori superdato, sic vt diutius durantem suppurationem efficeret, vel vnguento Digitalis purp. et mercur. alb. pectori infricato, ita vt exanthema excitaretur, atque victu tenuiori, aduersus hunc morbum adhibita sunt atque saltem in quibusdam casibus vsum habuere. Praeterea in eodem Iodum, vel Spongia marina vsta, et Carbo animalis, circumspectius tamen, tentari possunt. Vbi vero nimia sensilitas neruorum laryngis et pectoris s. affectio spastica subesse et vrgere videtur, Liqu. C. C. succinat., Valeriana, flores Zinci, Moschus et alia antispasmodia remedica adhibenda sunt [1]).

---

1) Ex quo *Koppius* medicorum animos excitauit, vt ad hunc morbum attenderent, atque haec Commentatio abhinc decem fere annis in Consessu Societatis Reg. Scient. recitata est (conf. Götting. gel. Anz. 1832. St. 32.), plures medici observationes et animaduersiones de illo in medium protulerunt (conf. praecipue *Hirsch* über das Asthma thymicum in *Hufeland's* Journ. d. pract. Heilk. 1835. Jul. et *Graf* in Jahrb. d. ärztl. Vereines zu München. Jahrg. II., Salzb. med. chirurg. Zeit. 1837. B. 3. p. 43 sq. u. *Casper's* Wochenschrift f. d. Heilk. 1837. Nr. 19., a quibus alii, qui illos praecesserunt, citati sunt), nonnulli autem (*Caspari* in Heidelberg. klin. Annal. B. 8. H. 2., *Pagenstecher* ibid., *Albers* Beobacht. auf d. Gebiete d. Pathologie u. patholog. Anatomie Th. 1., *Rösch* in

Hufeland's Journ. 1836. Jan. et 1840. Jan., *Hachmann* in Zeitschr. f. d. ges. Medic. v. *Dieffenbach, Fricke* u. *Oppenheim* 1837. H. 3. et alii) partim intumescentiam thymi causam morbi esse omnino negarunt, partim potius affectionem neruosam spasticam laryngis subesse contenderunt. Huius dissensionis in continuatione Commentationis meae rationem habiturus nunc tantum subiiciam, anno 1839 in instituto clinico meae curae commisso iterum casum obseruatum esse, in quo certe infans omnes notas asthmatis thymici exhibebat, defuncti autem thymus minime tumida deprehendebatur, itaque, etiamsi in plurimis casibus intumescentia thymi post hunc morbum vtique deprehensa sit, vel hunc casum argumento esse, ex illis notis, quae pro signis pathognomonicis huius morbi habentur, non posse colligi, illas tantummodo ex intumescentia thymi pendere.